

Rem quoque perdifficilem Paulus aggressus , vitam religiosam professis in cœnobia , unde qualibet ex causa exierant , præstituta die , nulla mora , aut excusatione adhibita , regredi præcepit : ni id facerent excommunicationis vinculo adstrin gerentur : quæ sacerdotia obtinerent , ea Apostolicæ Sedi cederent : obtemperare detrectantibus , ut ab aliis internosce rentur , pileo , aut galero lineum album filum imponere juf fit . Atque in eo edito exequendo severe adeo , atque acer be enitebatur , ut complures in pontificiis ditionibus satelli tum manu in vincula truderentur ; alii in triremes conjice rentur . Ex eaque lege ingens hujus generis hominum turbatio , ac tumultus in urbe Veneta excitatus ; quam urbem , qui varias ob causas edito parere non poterant , uti tutissimum perfugium elegerant ; eorumque ad triginta millia esse ferebantur : quorum plerique desperatione adacti , in Turcarum oras proficiisci , vel in Germaniam migrare statuerant ; non nuli domorum parietibus inclusi rei exitum , ac propinquum Pontificis lethum præstolabantur , cœnobiarachis (quod durum nimium videbatur) intra monasteriorum septa homines hujusmodi excipere abnuentibus , utpote qui ad id præstandum edito non cogerentur . Dum hæc , atque alia ad lapsos ecclesiasticæ disciplinæ mores restituendos Paulus molitur , cum aqua intercute laborare coepisset , tandem quintodecimo kal. septembbris tertium supra octogesimum annum agens , naturæ concessit . Nondum animam efflaverat , cum repente furens populus , perque urbem veluti amentia correptus discursans , effractis carceribus , omnes innoxios , æque ac fontes liberavit : mox novum Inquisitionis carcerem , igne injecto , iis , qui eo detinebantur emissis , flammis absumpfit . In sacram quoque Dominicanæ familie ædem ad Minervam impetus factus , incendium intentatum , ac vix demississimis nonnullorum precibus aversum . Neque his exagitata , atque cestro percita plebs contenta , in statuam e pario marmore Paulo in Capitolio erectam saeviit , caputque illi cum dextera manu præcisum triduo ludibrio habitum per urbem provolvit ; quod tandem , langescente rabie , in Tyberim projectus ; populi Romani edito pervulgato , ut ex urbe insignia Caraffæ familie , poena perduel lionis non obtemperantibus proposita , tollerentur .

1559
Pauli Pont.
decreterum de
religiosam
vitam pro
fessis in cœ
nobii coer
cendis .

Pauli IV.
Pontificis
obitus .

Romani po
puli furor
in Pauli
Pontif. mo
numenta .